



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 77. Utriusque episcopi documentum Pastorale contra quemdam librum
a Quesnellistis editum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII.
A. C. 1711.

§. LXXVII.

Utriusque Episcopi documentum Pastorale contra quemdam librum a Quesnellistis editum.

Vid. supra
l. 206. t. 63.
§. 45. p. 591.
Docum.
Past. p. 1.

Jam anno Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo nono prodiit libellus, cui titulus: *Defensio observationum in Novum Testamentum &c. scripta ab Illustrissimo DD. Jacobo Benigno Bossueti Episcopo Meldensi*: Adversus hunc libellum Rupellensis ac Lucionensis Episcopi die decima quarta Maij Lucionæ ad utriusque Diæcesis Clerum & Populum rursus documentum Pastorale ediderunt, quod etiam, cum in illius memoria celeberrimi Bossueti vindicatum, integrum huc adducere, haud ingratum fore arbitror. Illius autem tenor est sequens:

„Etsi profecto vestram, Fratres Charissimi, laudemus docilitatem erga decretum, quo Novum Testamentum P. Quesnelli proscripsimus, & Documentum Pastorale nuper a nobis de eodem argumento scriptum. Cum unicus hic fuerit nobis in ea re finis propositus, ut nimirum, & Ecclesie serviremus, & prodessemus vestris, placuit Divinæ bonitati eximiam illam, quam mentibus vestris iniecit.

„docilitate studium nostrum remune- Sæc. XVIII.
 „rare, atque hujus quidem Divini Be- A. C. 1711.
 „neficii maximas præpotenti Deo gra-
 „tias agimus & habemus. Verum ne
 „quid adhuc & operi Divino & Mini-
 „sterio nostro desit, hoc iterum ad vos
 „Documentum Pastorale conscribimus,
 „de Libro quodam nuper edito, qui
 „inscribitur: Defensio observationum
 „in Novum Testamentum &c. Scripta
 „Anno 1699. ab Illustrissimo D. D. Ja-
 „cobo Benigno Bossuet Episcopo Mel-
 „densi. Janseniani homines, qui opti-
 „me norunt, quantum observationes
 „P. Quesnelli contulerint ad errores
 „Janfenii longe lateque propagandos,
 „nihil non egerunt, ut hunc pestife-
 „rum Librum defenderent. Jam vero
 „cum eum ab omnibus, qui quidem
 „jam vivunt, Episcopis proscriptum
 „tanquam hæreticum videant, nihil
 „habent, quod agant, nisi ut mor-
 „tuum aliquem Episcopum ad vitam
 „revocent, qui Patrocinium hujus Li-
 „bri suscipiat, & eum quidem, quem
 „dum viveret, omnibus contumeliis
 „affecerunt, quoties ipsorum erroribus
 „se adversari professus est. Quantum-
 „libet Illustrissimus ille, qui nuper vi-
 „xit, Episcopus Meldensis scientia & e-
 „ruditione sua veneratione dignus sem-
 „per nobis visus fuerit, nunquam ta-

Sæc. XVIII. „men committemus, ut existimemus
A. C. 1711. „ejus auctoritatem esse ejusmodi, que
 „& summi Pontificis, & multorum eo-
 „rumque doctissimorum Episcoporum
 „auctoritati sic opponi possit, ut supe-
 „rior aut etiam æqualis ei videri valeat.
 „Quamobrem & si hodie ea auctoritas
 „a Jansenianis tanquam vera proferre-
 „tur, nullam tamen observationibus
 „conferret auctoritatem, imo Præsu-
 „lem ipsum dedecoraret, quod nos
 „Fratres Charissimi, nunquam patie-
 „mur. Iniquum enimvero foret sine-
 „re, ut Præsulis eximii & de Ecclesia
 „tam bene meriti dignitas violaretur
 „ab hominibus iis, qui semper omnia
 „rebus suis posthabent, ut nomini le-
 „gius inuratur labes sempiterna, qualis
 „Libri seditiosi pariter & hæretici de-
 „fensor extiterit, præsertim cum nos
 „ea præ manibus habeamus, quibus
 „omnino purgari possit. Hoc igitur
 „Fratres Charissimi, documentum ad
 „vos mittimus, ut quem causa nostris
 „infensissimi Ecclesiæ hostes Illustris-
 „simo Præsuli honorem apud vos et
 „perere volunt, eum illi reddamus, le-
 „mulque animos vestros muniamus con-
 „tra scandalum, quod tanta auctoritas
 „falso allata vobis importare possit.
 „Num igitur Liber ille, inquiet al-
 „quis, ab Illustrissimo Episcopo Me-
 „deni

„denſi ſcriptus non eſt? Hoc vero non Sæc. XVIII.
 „negamus, Fratres Chariffimi, Librum A. C. 1711.
 „quidem ipſe ſcripſit, ſed vix conſcri-
 „perat, cum brevi ſententiam muta-
 „vit, neque ad priſtinam mentem un-
 „quam rediit; eam Sententiæ muta-
 „tionem Janſeniani ipſi reſciverunt, &
 „tamen ejus auctoritatem hodie ſic
 „proferunt, quaſi nunquam a priſtina
 „ſententia diſceſſerit. In quo fatiſ ap-
 „paret, cujus fidei ſint illi Novatores,
 „& qua mente, quo animo morum
 „auſteritatem jaſtent ac prædicent.
 „Cæterum, Fratres Chariffimi, non
 „petimus, ut in re tanti momenti fides
 „verbis noſtris habeatur, ſed tantum-
 „modo testimoniis illis, quibus ea om-
 „nia, quæ proferimus, ſtabiliemus,
 „& quæ vel a litigioſiſſimis hominibus
 „nunquam infirmari poterunt. Voluit
 „Divina Providentia perpetuo ad Ec-
 „cleſiæ ſuæ neceſſitates attenta, ut exi-
 „miæ probitatis Archiepiſcopus apud
 „ſe haberet exemplaria autographa,
 „quibus quidquid in hac nova ſecta
 „Myſterii latitet, aperte detegitur, &
 „cognoscitur, quid ab iis hominibus
 „ſit pro religione pertimeſcendum; qui-
 „bus rebus uſi ſumus, Fratres, ut Præ-
 „ſulem noſtra cauſſa dedecoratum &
 „falſo accuſatum ulciſceremur, ſimul-
 „que vos edoceremus. Ipſi Janſeniani,

Sæc. XVIII. „qui Episcopi Meldensis scriptum in li-
A. C 1711 „cem ediderunt, Librum illum profi-
 „tentur scriptum fuisse Anno 1699.
 „contra illud problema, quod prodie-
 „rat Anno 1698. D. Villart jam tum a
 „die 27. Martii 1699. ad Patrem Ques-
 „nellum hæc verba scripserat. *Quæ-*
 „*dam suspicio est P. Duperron huic Libro*
 „*adversari:* Nemo nescit Villartum fuis-
 „se Parisiis Consiliorum omnium hujus
 „sectæ participem, ad quem scribebant
 „ad quem confugiebant, quicumque
 „cum ea societatem quamdam habe-
 „bant. Quod ille tantum suspicatus
 „fuerat Mense Martio Anni 1699. id
 „apprimè rescivit initio Anni 1700.
 „quemadmodum explicat in Epistola
 „ad Patrem Quesnellum data 30. Ja-
 „nuarii, cujus Epistolæ hæc verba sunt.
 „Nihil novi scio de tumultu, quem exci-
 „tant quatuor Fratres, præter hoc nu-
 „mum, scilicet Dominum Duperron is
 „etiam adversari; sed illud tantum
 „heri rescivi. „ Eodem ipso Anno 1700.
 „dum Clerus Gallicanus comitia sua
 „haberet, Abbas Dambes Epistolam ta-
 „cito Auctoris nomine ad Illustrissimum
 „Episcopum Meldensem scripsit, qua
 „ei multa & quidem acerba exprobrat,
 „sed præsertim illud, ex quo facile in-
 „telligi potest, quam fallaces ac per-
 „versi sint illi homines, qui hujus Præ-
 „sulis

„fulis auctoritatem in gratiam obser-
 „vationum obtendere hodie & prædi-
 „care non dubitant: „Multos novimus,
 „inquit Abbas, quibus dixisti quinque
 „illas Propositiones in Libro P. Ques-
 „nelli reperiri. Tum addit, nec e me-
 „moria tua fortasse excidit, Illustris-
 „sime Præsul, te nuper factum esse
 „cuidam Archiepiscopo, qui in comi-
 „tiis erat, plures & apertos Jansenii
 „errores hoc Libro contineri. Jam
 „vero post testimonium tam apertum,
 „tam clarum, præsertim profectum ab
 „uno ex hujus factionis principibus,
 „qui Anno 1700. Illustrissimum Episco-
 „pum Meldensem inculsat, quod dixe-
 „rit, se in Libro observationum quinque
 „illas Propositiones reperisse, ac plures &
 „apertos Jansenii errores hoc libro con-
 „tineri: quis non mirabitur, quis non ex-
 „crabitur eorum malam fidem atque au-
 „dacious, qui in lucem ediderunt Librum
 „hujus Præsulis scriptum Anno 1699. quo
 „observationes commendantur, & si-
 „mul asserere non dubitarunt in ipsa præ-
 „fatione, Illustrissimum Episcopum Mel-
 „densem eas observationes in Novum
 „Testamentum semper multi fecisse?

„Hoc vero longe magis mirum vi-
 „detur, aut potius fidem omnem supe-
 „rat, quod, quamvis testimonium il-
 „lud adeo expressum multis abhinc

X 5

„an-

Sæc. XVIII.
A. C. 1711.

Sæc. XVIII. „annis cum auctoritate editum fuerit,
 A. C. 1711. „nec ullus unquam repertus sit, qui
 „Epistolam, ex qua excerptum est, re-
 „cusare auderet. Janseniani tamen non
 „vereantur hodierno die suam malam
 „fidem quasi testatam facere, ac publi-
 „cis monumentis consignare, dum li-
 „lustriſſimum Præſulem observationes
 „semper approbasse aſſerunt, licet con-
 „trarium ipſi aſſeruerint, & quidem ex
 „ſcripto, quod inficiari non audent
 „& quod præ manibus noſtris eſſe certum
 „ſciunt. Sic sæpe Divina permittit
 „Providentia, ut hæretici infamiae non
 „tam ultro ſibi inurant, & quaſi de-
 „ſignata opera id agant, ut homines per-
 „diti atque impudentes ab hominibus
 „habeantur. Quamobrem, Fratres
 „Chariffimi, Episcopus Meldensis satis
 „purgatur ab iis ipſis, qui contem-
 „bant hujus uti auctoritate, ut per-
 „ſoſum illum Librum defenderent.
 „Quamquam, quid iis omnibus eſt
 „opus, ut eam, quam falſo ſibi tribuunt
 „inovatores auctoritatem, iis omnibus
 „auferamus? Satis erit proferre testi-
 „monium, quod in gratiam Episcopi
 „Meldensis nuper dedit Doctiffimus
 „mul & ſapientiffimus, & non minus
 „probitate morum, atque aliis anti-
 „quitatibus, quam dignitate clarus
 „nator, qui aſſerit sæpe numero

„audivisse ab Illustrissimo Episcopo Mel- Sæc. XVIII.
 „denfi, cum diceret, observationes P. A. C. 1711.
 „Quesnelli esse perniciosas, apertos
 „Jansenii errores iis contineri, nec eas
 „legi debere ab iis, qui Christianam
 „pietatem profiterentur. At fortasse,
 „inquiet aliquis, quomodo fieri potest,
 „ut Illustrissimus Episcopus Meldensis,
 „Præsul sane & doctissimus & perspicua-
 „cissimus eas observationes approbave-
 „rit, idemque postea improbaverit, &
 „in iis errores Jansenii reperit? Facile
 „intelligetis Fratres Charissimi, hanc
 „objectionem nullius esse roboris, ad
 „veritatem facti tam certis testimoniis
 „stabiliti ullo pacto infirmendam. Ad-
 „demus tamen Illustrissimum Episco-
 „pum Meldensem, cum mutavit sen-
 „tentiam, ostendisse, quam vero sin-
 „ceroque esset animo, & quibus dolis
 „usi fuerint Janseniani, ut & eum ante
 „occuparent. Etenim ii, quorum sco-
 „pus hic erat, ut Illustrissimus Præsul
 „observationes illas approbaret, ex-
 „cerpserunt quasdam ex Libro proposi-
 „tiones, quas ad eum miserunt, ex
 „quibus judicare poterat, nihil esse in
 „iis observationibus fidei Orthodoxæ
 „contrarium, in iis, quæ ad gratiam
 „divinam pertinent. Hinc factum est,
 „ut postquam eas propositiones excer-
 „ptas legisset, scriberet Librum, quem
 „ho-

Sæc. XVIII. „hodie proferunt; sed ex eo nihil pos-
 A. C. 1711. „sunt conficere, postquam ipsi docuere,
 „quam brevi Episcopus Meldensis sen-
 „tentiam mutaverit, quam ipse muta-
 „tionem non dissimulandam esse duxit.
 „Notum satis erat tunc temporis, ut
 „& vos Fratres modo intelligetis, quan-
 „tum Illustrissimus Episcopus Carnoten-
 „sis observationibus Quesnellanis ad-
 „versaretur. Cum magna inter eum
 „& Illustrissimum Episcopum Meldensem
 „intercederet necessitudo, fieri omnino
 „non potuit, ut Illustrissimus Episcopus
 „Meldensis ignoraret, quo animo Epi-
 „scopus Carnotensis esset erga Librum
 „observationum, quod scilicet vel ipsi
 „Janseniani noverant. Quamobrem
 „credendi locus est Illustrissimum Episco-
 „pum Meldensem fuisse ad id adductum
 „ab Illustrissimo Episcopo Carnotensi,
 „ut de opere illo toto diligenter cogno-
 „sceret, & quid perniciosi eo continere-
 „tur, perspiceret. Atque hoc idem
 „nobis affirmarunt viri fide dignissimi,
 „& utriusque amicissimi. Verum quæ-
 „cumque illi causa vel occasio mu-
 „tandæ sententiæ fuerit, certe constat,
 „mutavisse, & illud nobis satis est.
 „Et quoniam nunquam possunt nimis
 „multa proferri, quæ vos a pestifero
 „illo Libro legendo amoveant, utile
 „vobis erit, Fratres Charissimi, cogno-
 „scere,

„scere, quo pacto Ecclesiæ Præsules Sæc. XVIII.
 „adversus eum insurrexerint, & quam A. C. 1711.
 „acriter erroris Patroni eundem de-
 „fendere aggressi sint. Unus ex iis,
 „quem P. Bruleur appellant, ita scri-
 „bit ad P. Quesnellum 2. Novembris
 „Anni 7699. „Episcopus Carnotensis
 „cum hebdomada præterita S. Ursulæ
 „Pisciaceses moniales inviseret, iis
 „prohibuit observationes in Novum Te-
 „stamentum, & multos alios Libros.
 „ . . . Illud profecto molestissimum est,
 „quod tam male mereantur de Eccle-
 „sia vel ipsi Principes, qui sunt, dicere
 „plura non audeo &c., Quod vero ille
 „dicere non audet, sexcenties repetit
 „P. Quesnellus in suis observationibus,
 „cum vexatores appellat eos, qui Ec-
 „clesiæ decretis utuntur ad profligan-
 „dos Jansenii errores, quos nimirum
 „homines illi ex solemni hæreticorum
 „more, veritatem vocant.

„Præterea Villartus Epistola ad Pa-
 „trem Quesnellum data 22. Januarii
 „1700. hæc habet de Illustrissimo
 „D. D. Carnotensi, deque ejus animo
 „erga observationes, quas ipse nomine
 „4. Fratrum designare solet., Tandem
 „invenimus virum illum (Clericum
 „aliquem intelligit): Quem posceba-
 „mus, verum & sincerum S. Augustini
 „defensorem ac Discipulum, cujus pa-
 „tience

Sæc. XVIII. „tientia sæpius tentata fuit ab homine
 A. C. 1711. „quodam in Episcopali dignitate con-
 „stituto (Episcopo scilicet Carnotensi)
 „qui execratur & horret, ac blasphe-
 „mat doctrinam, quam scilicet ignorat,
 „nec ullo modo discere cogitat. Idem
 „ille quatuor Fratribus adversatur, &
 „eorum defensori ac Patrono molestus
 „est saltem ut hominum est o-
 „pinio, vexatur (hic illorum Patronus
 „ac defensor) ab imperito Collega suo
 „quodam, qui tamen apud Regem plu-
 „rimum auctoritate valet. Quod si id
 „susplicandi ratio haud satis constans
 „præbetur, est sane eximia charitatis
 „pro viro ejusmodi rudi & ignaro Deum
 „orare Et vero est valde verifi-
 „mile hunc illum infestum genium esse,
 „a quo hic & nunc domum
 „male ob quatuor Fratres torqueri pai-
 „sim jactatur, & hic dæmon ejus ordi-
 „nis est ac dignitatis, cui in hac re-
 „gione tenebrarum aures faciles præ-
 „beantur Deus omnia modera-
 „tur Sed hoc certum est, dia-
 „bolum nempe fructus ac progressus
 „Fratrum tanto ægrius ferre, quanto
 „longius latiusque hi fructus in om-
 „nem partem promanant. „ Enimvero
 „factionis ingenium & dogmata unde-
 „quaque observationes illæ morales dif-
 „feminabant. At vos, Fratres Cha-
 „rissimi,

„rissimi, contemptum hunc omnis le- Sæc. XVIII.
 „gitimæ potestatis, quem homines illi A. C. 1711.
 „præ se ferunt, agnoscite, atque ex
 „eo discite, quodnam sit hæreseos in-
 „genium, quam superbum atque arro-
 „gans, quam injustum, atque omnis
 „jugi impatiens. Hunc pium ardo-
 „rem ac Zelum, quo observationes mo-
 „rales Patris Quesnelli insectabatur Il-
 „lustrissimus Episcopus Carnotensis, Vil-
 „lartus in ea, quam paucis post diebus
 „scribebat Epistola, commotionem in
 „quatuor Fratres appellabat, addebat
 „Villartus, eos quoque male haberi
 „Illustrissimi Episcopi Meldensis sermo-
 „nibus; proculdubio ex quo ad cogno-
 „scendum excutiendumque hunc Li-
 „brum ab Episcopo Carnotensi addu-
 „ctus, ipsam Jansenianam hæresim, quod
 „& ipsi Abbas Dambes exprobrat, in
 „eo deprehenderat. Sed quo tandem
 „pacto ipsum potuisset effugere Episco-
 „pum Meldensem, id quod apertissime,
 „imo & longe apertius ac manifestius
 „quam vellent, hujus sectæ Patroni Li-
 „bro observationum contineri, & om-
 „nium oculis exhiberi sentiebant? Do-
 „minus Isole, sive Pater Isole hac su-
 „per re sententiam suam Patri Ques-
 „nello declarat Epistola data 13. Martii
 „Anno 1690. his verbis, „ab aliquot
 „diebus quasdam observationes, quæ
 „mihi

Sæc. XVIII. „michi quidem arident maxime, per
 A. C. 1711. „volvo: his gravissima quæque dogmata
 „modis innumeris exponuntur, at fem-
 „per ad permovendos animos aptiffi-
 „mis: neque vero est quod Lector lon-
 „gius perquirat, sic exhibentur, sic
 „admoventur, atque aptantur inter se
 „ut illorum aspectum devitare nemo
 „possit . . . Non jam, pergit idem,
 „quid sit positis principiis consequens
 „lectoribus dijudicandum permittitur.
 „Quod eos existimare volumus, id to-
 „tum indicatur. Hoc unum vereor,
 „ne fors quædam doctrinæ capita fre-
 „quentius quam par est, doceri, eaque
 „sibi sæpius ingeri & inculcari animi-
 „advertant. Nam id quidem sedulo
 „quæsitum fuisse, manifestum est, &
 „quod assutum est panno, sic eminet,
 „ut pannum ipsum aliquando obruat.
 „Sed nimirum, quod a me jam animi-
 „adversum est, nihil est, quod homi-
 „nibus probari non possit, modo prius
 „admoniti non sint, ut ab illo caveant.
 „Hæc gravissima dogmata, hæc
 „quædam doctrinæ capita, quæ ne Le-
 „ctor frequentius sibi ingeri in annota-
 „tionibus animadvertat, Dominus Isole
 „subveretur, hæc denique placita, de
 „quibus cupit homines non prius ad-
 „moneri, ut jam edito opere nimium
 „sera expostulatio videatur, hæc dog-
 „mata,

„mata, Fratres Charissimi, ut ipsi sa- Sæc. XVIII.
 „tis perspiciatis, non sunt Evangelica A C. 1711.
 „Dogmata, quæ omnes Catholici pro-
 „fitentur atque agnoscunt: de iis enim
 „nullus fuisset timendi locus, ne quis
 „expostularet: ea profecto hic indican-
 „tur dogmata, quæ Jansenii defen-
 „res propugnant, ii sunt puri & aperti
 „Jansenii errores, ea est ipsa Janseniana
 „hæresis, quam Episcopus Meldensis
 „in observationum Libro deprehende-
 „rat, quamque cum Thomistarum do-
 „ctrina, cujus acerrimus propugnator
 „semper extitit, miscere & confundere
 „nunquam voluit. Verum ea dogmata,
 „cum sint in observationibus P. Ques-
 „nelli *modis innumeris exposita, iisque*
semper ad permovendos animos aptissi-
mis, cum ea sic admoveantur, atque
aptentur inter se, ut illorum aspectum
devitare nemo possit, cum certa doctri-
næ capita lectoribus sic ingeruntur, ut
sedulo id quæsitum fuisse manifestum sit,
 nonne observationum Librum hoc
 „uno jam patet conscriptum esse con-
 „silio, ut errorem disseminet, eo to-
 „tum quantus est scatere, sic ut vanus
 „futurus sit omnis in illo perpurgan-
 „do labor? Idem Dominus Isole post-
 „quam in eadem Epistola suam de
 „dogmatibus atque ut appellat ve-
 „ritatibus, quæ in oculis legentium
Hist. Eccles. Tom. LXVIII. Y ultro

Sæc. XVIII. „ultro incurrunt, sententiam declarant.
A. C. 1711. „set, hæc addit: *nec solum dogmata exponuntur, sed & quidam homines suis ad vivum expressi coloribus exhibentur, & illi quidem excandescent fortasse. idque timeo: sed in ea prorsus sum sententia, illis minime esse parcendum, nihilque omnino detrahendum. Potest illos diligens arcani custodia decipere, ipsi suam omnium oculis expostitam imaginem cernent, nec suam esse imaginem fateri audebunt. Hoc vero ut consequamur, dici non potest, quantam oporteat adhibere in arcano servando diligentiam,*
 „hos quidem homines, quibus Dominus Isole minime parcendum esse definit,
 „qui suis ad vivum expressi coloribus Libro P. Quesnelli exhibentur, quos potest
 „est arcani diligens custodia decipere, dum ipsorum imago oculis omnium exponetur
 „observationum libro illis prorsus insciis edito, manifestum est adversarios esse illius, quam vocant, *veritatis*
 „quæ toties & tam perspicue hoc opere toto traditur. Uno verbo hi
 „sunt, ut loqui amant homines e secta *veritatis* illiusque discipulorum vexatores. Sed ne quod vobis hac de re,
 „Fratres Charissimi, dubium esse possit, ipsius Villarti ad P. Quesnellum,
 „litteras, huiusque responsum accipite, ipsi vobis totum hoc iniquitatis mysterium palam facient.”

„Data

„Data est Villarti Epistola 12. Aprilis ^{Sæc XVIII.}
 „lis Anni 1697. estque hujusmodi: ^{A. C. 1711.}
 „mino certum ac ratum est sedulo
 „curare, ut opus quatuor Fratrum, præ-
 „sertim in omnibus Provinciæ suæ Monaste-
 „riis dividatur, quidam omnium illius se-
 „cretorum conscius dicebat nuperrime Fratri
 „nostro Germano de Champenel (ipse est
 „Villartus) cupere se, ut illis quatuor
 „Fratribus, a quibus se probe notum esse gra-
 „tulatur, significet, ipsorum opus ordini toti
 „(novorum scilicet S. Augustini disci-
 „pulorum) prodesse plurimum, & tan-
 „tum asferre fructum, ut jam denuo excu-
 „dendum sit brevi, omnes ad hanc editionem
 „debere esse paratos, atque illorum Librum
 „omni jam offensionem, quoad poterit esse sub-
 „ducendum, tollendum id omne, quod reli-
 „giosorum, aut sciolorum, aut præoccupato-
 „rum querelis, aut conscientie anxietati
 „locum ullum præbere possit. Quamobrem
 „ipsi videbatur necessarium, ut operi denuo
 „manus admoveretur Optandum fo-
 „ret, ut quatuor Fratres in eo se faciles
 „præberent; & libenti animo concederent,
 „ut mutationes illæ fierent temperatæ, ele-
 „gantes, scitæ, felices, quas unus ante om-
 „nes Dominus Bevilaqueus explicare potest.

„Exponit postea Villartus P. Ques-
 „nello exostulationum in quatuor Fra-
 „tres & querelarum causas, quarum
 „quidem ille haberi rationem vellet,

Sæc. XVIII. „ut satisfaceret nimirum sciolis homini-
 A.C. 1711 „bus & præoccupatis. Hoc, inquit,
 maxime moventur expostulantes, quod in
 nonnullis Libri locis non satis loci in ope-
 randa salute libero arbitrio tribuatur: re-
 liqua loca non improbant, in quibus illa
 liberi arbitrii partes commode poterant im-
 minui, neque tamen sunt imminutæ. Con-
 similem totius operis rationem ac formam
 constantem desiderant. Hanc primam con-
 querendi ansam assumunt.

„Atque huic querelæ hæc inter a-
 „lia respondit P. Quesnellus. Ejus li-
 „teræ datæ sunt 19. Aprilis Anni 1697.
 Satis apparet primam expostulationem ab
 iis profectam esse, quibus nimia est, cum
 iis consentio, quos S. Augustinus appellat
 superbos sui arbitrii defensores, inflatores,
 præcipitatores. Deinde postquam Ques-
 „nellus fuisse prosecutus est multa, quæ
 „ad hanc causam nihil faciunt, eo de-
 „nique redit in hunc modum: Liberum
 arbitrium puer quidem est legitimus, sed
 idem perditus, depravatus, profusus, qui
 jam cohibendus est, & servi ac mancipii
 instar habendus. quando quidem arbitrium
 peccati servum effectum est, nec in liberta-
 tem restitui potest, nisi se totum servatori
 gratiæ mancipet.

„Id quæso, Fratres Charissimi, di-
 „ligenter animadvertite. Sunt, qui
 „conquerantur, quod P. Quesnellus
 „homi-

„hominis libertati in sua operanda fa- Sæc. XVIII.
 „lute non satis tribuat. Respondet A. C. 1711.
 „Quesnellus agnoscere se quidem libe-
 „rum hominis arbitrium. Atqui hoc
 „idem Calvinus Janseniusque agno-
 „scunt; nec propterea minus errarunt,
 „quod non tale liberum arbitrium,
 „quale præscribebat Ecclesia, admit-
 „terent; atque hoc Patris Quesnelli
 „responsum, *arbitrium non posse in liber-*
 „*tatem ullo pacto restitui, nisi servatoris*
 „*gratiæ se totum mancipet*, satis ostendit,
 „illum ea de re omnino sentire, quod
 „Jansenius sensit.

„Sed pergamus audire Villartum,
 „querelarum de observationibus caus-
 „sas P. Quesnello exponentem.

„Secunda, inquit, *hæc est, quod ni-*
 „*mio quodam studio indicentur superiorum*
 „*vitia, nullaque illorum non patefaciend-*
 „*orum modo, sed & augendorum occasio præ-*
 „*termittatur.*

„P. Quesnellus fatetur hoc sibi fuisse
 „propositum in illo opere conscribendo,
 „quod propositum S. Gregorio fuerat,
 „ut malos Episcopos emendaret, &
 „sua illis vitia ostenderet, & quasi ob-
 „truderet *iis observationibus, quæ in ocu-*
 „*los vel invidiosorum incurrerent*, sed quos-
 „nam ab his emendatoribus Episcopos
 „malos vocari ac existimari censetis?
 „Id vero facile perspicitur ex illis co-

Sæc. XVIII. „loribus, quibus indignum in modum
 A. C. 1711. „homines illi, ut modo vidimus, illust-
 „rissimum Episcopum Carnotensem ex-
 „hibuerunt, virum omni laude præ-
 „stantem, atque unum ex omnibus,
 „qui Gallicanam Ecclesiam illustrarunt
 „Episcopis, honore ac veneratione di-
 „gnissimum. „

„Veniamus ad tertiam expostulatio-
 „nis causam adversus observationes.
 „Hanc Villartus Patri Quesnello sic
 „proponit: *Tertia hæc querela est, quod
 ad hujus ætatis religiosos (scilicet ex novo
 „ordine discipulorum S. Augustini) ni-
 mirum aperte transferuntur, quæ spectant
 ea, quibus perferendis priorum ordinis re-
 ligiosorum (nimirum primorum Chri-
 „stianorum) constantia probata est, ob-
 servationes, inquit, quasi digito mon-
 strant, & quidem frequentius, quam par
 est, quinam sint illi, qui vexantur, quinam
 illi, qui vexant. Addunt ab hominibus
 vulgo, qui paulo sagaciores sunt, hæc duo
 postrema, quæ proposui, atque hoc præser-
 tim extremum observari: nimirum id,
 „quod spectat homines illos, qui ve-
 „xantur, & illos, qui vexant, a P.
 „Quesnello frequentius, quam par est
 „digito monstratos. Nam quod rarius
 occurrit, inquit, sua sponte videtur oc-
 currere: quod vero tam sæpe objicitur, sæ-
 pe eile judicatur accersitum fuisse, & seculo
 comp-*

conquisitum. Hæc Villarti monita, vel Sæc. XVIII.
 „pro comodo ipsius factionis, negli- A. C. 1711.
 „genda profecto non erant: verum ali-
 „ter prorsus Quesnellus sensit. Quare
 „ita respondit: *Tertia querela non minus*
iniqua est, imo eo iniquior, quo minus di-
gni sunt veritatis ac religionis vexatores,
quibus parcatur. Quid enim? illos pu-
dore suffundere non licebit? Crimini dabi-
tur id ostendere fidelibus, quod ipsi per sese
non satis discernunt, dignam nempe pervers-
orum pœnam longe diversam esse ab imme-
rita vexatione, qua homines insontes &
innocentii afficiuntur? Non licebit ad hos
consolandos commonstrare, descriptam fuisse
in Evangelio imaginem quamdam eorum
omnium, quæ per universam sæculorum se-
riem contingunt? Cavendum est igitur quam
maxime, ne perturbetur pax illorum, qui
 „lætantur, cum male fecerint, & qui
 „sagittant in occulto rectos corde?
 Profecto miror ego, quemquam talibus que-
 relis aures præbere, nec vellem mihi attri-
 bui peccatum illud, quod admitti potest,
 cum delentur ex aliquo libro ea, quæ sunt
 fortasse necessaria, & ex quibus fieri facile
 potest, ut aliquorum inter hos miseros salus
 & conversio pendeat. At enim ea frequen-
 tius, quam par est, inculcantur. Atqui
 ego ea non satis sæpe commemorari contem-
 do; verba quædam quasi fortuito & obiter
 prolata non animadvertuntur, crebra ni-

Sæc. XVIII. mirum ejusdem rei repetitio & inculcatio
 A. C. 1711. homines tam obstinatos movet: tum demum
 que illi attendunt, cum idem ad omnes
 Librorum sacrorum paginas occurrit. At
 enim id studiosius affectatum videtur. At
 qui tanto melius est; quædam est bona
 affectatio, si tamen hæc affectatio dicenda
 est, hæc enim potius est, quædam ex
 ipsa nata translatio & accommodatio,
 ex qua intelligitur, nos de præsentibus aliis
 qua Ecclesie necessitate vehementer esse sollicitos. Hanc sane rationem tenuit S. Au-
 gustinus, dum ea dogmata, de quibus ad
 populum verba faciebat, nunquam non ad
 Pelagianos, ad Donatistas, ad Arianos,
 ad Manichæos transfert, atque accommo-
 dat, prout cum his aut illis hæreticis erit
 decertandum, dicatur olim sane hos Li-
 bros vexationis tempore fuisse conscriptos.
 Id prorsus vere dicitur, neque accidet in-
 commode, quod ea res & futuris sæculis
 innotescat, & palam prædicetur, quæ ni-
 mium sane vera est. Si vero id, quod
 dicitur, sibi vexatores adscribant, hoc fa-
 cient, quod ut faciant, summa votorum
 est, atque ut eo facto moveantur simul &
 resipiscant.

„Hoc igitur P. Quesnellus fatetur,
 „eam sibi fuisse mentem, ut ne parceret
 „ret iis, quos ipse appellat vexatores
 „veritatis, qua nimirum appellatione
 „summum Pontificem intelligit, &
 „Epi-

Sæc. XVIII.
A. C. 1711.

„Episcopos eos, qui Jansenianam do-
 „ctrinam damnarunt; Regem quoque,
 „qui Ecclesiæ decreta contra Jansenii
 „Patronos tuetur ac defendit. De qua
 „enim doctrina alia, aut de quibus aliis
 „vexatoribus hic potest esse mentio?
 „P. Quesnellus fatetur ultro, se opta-
 „visse, ut vexatores id, quod ipse scri-
 „pserat, sibi dictum putarent. Ipse
 „P. Quesnellus prædicat, vere olim
 „dictum iri, fuisse suum opus persecu-
 „tionis ac vexationis tempore conscri-
 „ptum; imo expedire, ut id dicatur.
 „Fatetur id se confectatum sedulo fuisse,
 „ut Scripturæ loca ad vexatores trans-
 „ferret; sed nimirum addit hanc bo-
 „nam esse probandamque affectatio-
 „nem, & S. Augustini exemplo, qui
 „ad hæreticos sui sæculi, ea, de qui-
 „bus ad populum verba faciebat, so-
 „lebat accommodare, id a se factita-
 „tum esse contendit. „

„Auditisne, Fratres Charissimi, im-
 „piam hanc & perduellem confessio-
 „nem? Neque hanc, dum auditis, per-
 „horrescitis? Doletisne jam Librum
 „hunc tantæ offensionis plenum, e ve-
 „stris manibus a nobis ereptum, cum
 „ipsum audiatis auctorem flagitiosa sua
 „in componendo opere consilia profi-
 „tentem, agnoscentemque regnum Prin-
 „cipis omnium religiosissimi a se haberi

Y 5

„Re-

Sæc. XVIII., Regnum toti Ecclesiæ calamitosum &
 A C. 1711., fatale, ac quasi Constantii cujusdam
 „aut Valentis Regnum? Enim vero
 „quod iterum dicendum est, prorsus
 „apparet, querelam illam a Villarto
 „Patrem Quesnellum delatam de
 „vexatoribus, qui frequentius in ob-
 „servationibus moralibus digito quali-
 „monstrantur, quod P. Quesnellus con-
 „sulto & de industria a se usurpatam
 „fuisse fatetur, ad eos pertinere, qui
 „sua auctoritate ad comprimendum
 „Jansenii errorem ejusque propugna-
 „tores utuntur. „

„Si error ille, in quem septuaginta
 „abhinc annis & amplius tum Eccle-
 „siastica tum civilis potestas conspirat
 „non est vana quædam species ac in-
 „ne simulacrum, est profecto Quesne-
 „lus citra omnem controversiam facti-
 „nis hæreticæ antesignanus. Potest
 „mus quidem, Fratres Charissimi, tra-
 „ditas nobis ab hoc antesignano in De-
 „vini Magistri nostri Testamentum Mo-
 „rales observationes incauti, atque im-
 „prudentes recipere. Jam vero cum
 „ipse sua, quænam fuerint in iis scilicet
 „scribendis consilia, fateatur, cum de his
 „glorietur, cum jam sit luce clarior
 „hunc erroris & perduellionis pira-
 „ductum ad eas scribendas accessisse
 „possimusne hoc opus offensionis pre-

„num non rejicere, non horrere? Cre- Sac. XVIII.
 „demusne perpurgari posse eum librum, A. C. 1711.
 „qui ea fuerat mente conscriptus, ut
 „hæresim stabiliret, & hominum ani-
 „mos in legitimas potestates, quæ er-
 „rorem infectantur, commoveret? Mi-
 „nime vero potest, Fratres Charissimi,
 „minime potest huiusmodi liber corrigi & e-
 „mendari, atque huiusmodi fuit Illustrissimi
 „Meldensis Episcopi Bossueti de eo sen-
 „tentia, cum eum perlegisset, ejus-
 „que tentasset emendationem. Sen-
 „tentiam hanc suam aperuit Illustrissi-
 „mus Præsul personæ cuidam omni ve-
 „neratione dignissimæ, quæ hoc te-
 „stata est, & cujus prudentia ac fides
 „in dubium revocari nulla ratione pot-
 „est. At peractæ ejus emendationis
 „ubique sparsus est rumor. Date no-
 „bis hanc veniam, Fratres Charissimi,
 „ut silentio prætermittamus, tum qui-
 „bus dolis ac malis artibus elusa sint
 „recta sinceraque eorum consilia, qui
 „id fieri posse arbitrabantur, tum quas
 „machinas adhibuerint novæ Sectæ
 „Patroni, nequa gravior fieret in ob-
 „servationum Libro mutatio, dum ta-
 „men factam esse ejusmodi mutatio-
 „nem ac correctionem persuaderent.

„Luculenta quidem habemus eo-
 „rum omnium, quæ ad hanc causam
 „pertinent documenta, & ad vos do-
 „cens

Sæc XVIII. „cendos peridonea; sed ea non prof- „
A. C. 1711. „remus, nisi cum res Ecclesiæ id om- „
 „nino postulabit, ac privata omnia „
 „commoda post habere coget. Id unum „
 „ergo jam superest vobis a Domino „
 „postulandum, ut & vos documentis „
 „nostris ac præceptis dociles semper „
 „aures præbeatis, & nobis necessariis „
 „ad vos erudiendos Zelus ac sanæ do- „
 „ctrinæ scientia præsidiaque nunquam „
 „desint. „

§. LXXVIII.

*Secreta quorundam molimina contra
Cardinalem Noailium.*

Abbé Dor-
san. Jour-
nal. p. II.
Renvers. de
la Doctr.
Differend
l. c. p. 243.
Lettr. histor.

Interim P. Tellierus, qui Ludovico Regi
 a confessionibus erat, nil intentum,
 inausumque reliquit, ut litem
 inter Episcopos exortam componeret,
 & perversam doctrinam exterminaret.
 Hanc in rem quamdam concepit epis-
 stolam, quæ ab Episcoporum potissi-
 mis subscripta Regi traderetur: Hujus
 vero epistolæ summa hæc erat: „Con-
 „querimur de iis, quæ Cardinalis con-
 „tra Episcopalem auctoritatem, atque
 „inviolatas disciplinæ Ecclesiasticæ Re-
 „gulas attentavit: Romana Purpura,
 „qua fulget, nec auctoritatem nec ju-
 „risdictionem in Episcopos Confratres
 „suos ei tribuit, nec eorum opiniones
 „dam-